

A D L E C T O R E M.

Votuum cœlestium cognitionem vitæ humanæ utilem esse & summè necessariam, nemo est qui ambigat. Ut enim reliquarum in præsentia utilitatum mentio omitatur, certè temporum distinctione, ac imprimis anni iusta descriptione, quæ ex motuum istorum ratione dependet & pertenda est, carere societas hominum nequit. Demonstratione obtineri hoc oportere non arbitror, cùm unusquisq; secum hæc reputans non possit non agnoscere, in maximis tenebris, & rerum omnium ignoratione hæsituros nos esse, anni ratione ex ysu sublata. Sic etenim neq; mundi initium retro apprehendi, neq; duratio eius animo concipi, neq; tempora memorabilium ac maximè insignium rerum gestarum, in mundo, præsertim beneficiorum ingentium, quæ Deus Opt. Max. in genus humanum omnibus ætatibus contulit, sciri aut discerni possent. Præterea hæc, quæ hominum mentes in consideratione corporum cœlestium defixas tenet, doctrina, perspicuum de Deo & prouidentia testimonium suppeditat, quasiq; viam ad cognitionem Dei aliquam sternit. Si enim animo amplissimum hoc totius mundi σύσκυα quis perlustrauerit, nullibi manifestiora, quam in cœlo, Dei vestigia inueniet, vt non immerito D. Paulus, gentes omnes, quæ secretæ à populo Dei patefactionibus diuinitus huic traditis caruerunt, præeunte mentis luce, τὰ ἀόρατα τὸ θεῖον agnoscere inde potuisse affirmet. Et monumenta veterum testantur ex philosophis gentilibus eos ipsos potissimum & ex professis θεοῖς fuisse, qui cœlestium motuum inquisitionem neglexerunt, atq; repudiarunt. Non postremo itaq; loco inter Dei beneficia recensendum à nobis hoc est, quod artes istas, quæ cœli motus inquirunt & explicant, conseruat, imò excitatis præstantibus ingenjis, illustriores & perfectiores in his postremis mundi temporibus efficit.